



**Ethica Amoris, Sive Theologia Sanctorum, Magni
Praesertim Augustini, Et Thomae Aquinatis**

Circa Universam Amoris & Morum Doctrinam, Adversus Novitias Opiniones
Strenuè propugnata, Et In Materiis Principaliter Hodie Controversis
Fundamentaliter discussa

De Sacramentis In Genere Et Specie - Libros Octo Complectens

Henricus, de Sancto Ignatio

Leodii, 1709

Caput 147. Eandem docet Apostolus & Evangelista Johannes, sicut &
Apostolorum Princeps Petrus.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-73212](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-73212)

189. Nec tu poteris communicare Christi passio- nibus sine amore. Sed quero, quo amore? non sit cupiditas, sed sit charitas. Si enim, inquit, tradi- dero corpus meum ut ardeam, & charitatem non habuero, nihil mihi prodest. Ut prorsus tibi commu- nicato passivum Christi, sive per martyrium, si- ve per participationem Sacramentorum, charitas adit.

1705. Secundò idem Apostolus 2. Cor. 7. v. 9. & 10. gaudet Corinthios, secundum Deum contrita- tos ad penitentiam: quæ enim secundum Deum tristitia est, penitentiam in salutem stabilem ope- ratur. Ex istis Apostoli verbis arguo sic: tristi- tia, non quæcumque, sed quæ secundum Deum est, illa est, quæ quis (juxta Apostolum) salu- briter contrahatur ad penitentiam. Sed tristitia ex solo servili timore gehennæ, sine ullo Dei propter se amore, non est tristitia quæ secundum Deum est. Ergo non est illa, quæ quis salubriter contrahatur ad penitentiam. Probat sublimp- tum, quia tristitia ex solo servili timore gehennæ, non procedit ex amore Dei, sed ex amore nostri, neque est propter interesse Dei, sed propter interesse nostrum. Ergo non est tristitia secundum Deum, sed secundum hominem. Nullus quippe sanctorum Doctorum, nullus sacerorum Interpretum, factem veterum, profæri potest, qui per tristitiam secundum Deum, eo Apostoli loco, intellexerit tristitiam ex solo timore gehennæ, sed eam duntaxat omnes intellexerunt, quæ est ex Dei propter se amore, sive ex Dei chari- tate, prout Apostolum exponit vel ipse Jerone- lius à Lapide, sic intellexisse dicens Chryso- stomum, & Cassianum, & addere poterat Basilium, Ambrosium, Anselmum, S. Thomam, &c. Basilius namque ad interrogat. 192. secundum Deum tristitia (inquit) ea est, cum quis ex neglecto mandato Dei dolore afficitur. Unde in marty. Ju- liti, vult, ut ob peccatum, id est Dei offensam, non ob solam gehennam profusant profusissimæ lachrymæ. Similiter Ambrosius & Anselmus, in eum Apostoli locum, dicunt, quod qui tristis est, quia peccavit, secundum Deum tristis est; dolet enim quia fecit quod odit Deus. Cassianus de spir. tristitia l. 9. c. 11. hec tristitia, de qua Apostolus... ex Dei charitate descendit. Ita etiam Chryso- stomus hom. 4. & 15. in 2. ad Cor. & S. Thomas in c. 7. secundæ ad Cor. dicens, quod amor Dei causat tristitiam de peccato. Et hæc est tristitia secundum Deum. Et Bernardus serm. 2. in cap. jejun. ibi, tristitia tua convertatur ad ipsum (ut non nisi propter ipsum tristens) hoc autem fiet, si non nisi secundum eum doleat.

1706. Nequis verò illa Apostoli verba restringat ad tristitiam extrasacramentaliter salutarem, obstat Tridentinum sess. 6. c. 14. declarans, verbis illis contineri penitentiam hominis Christiani, ab iis agendam, qui postquam ab accepta justificationis gratia per peccatum exciderunt... exstante Deo, per Penitentia Sacramentum, merito Christi, amissam gratiam recuperare procuraverint.

1707. Tertio idem rursum Apostolus ad Galat. c. 5. v. 5. Nos enim (inquit) ex fide spem justitiæ ex- pectamus. Ex qua fide? Sequitur, & dicit: Nam in Christo Jesu neque circumcisio aliquid valet, ne- que præputium; sed fides, quæ per dilectionem ope- ratur. Ubi ly per charitatem Sancti vertere solent per dilectionem, quæ actum secundum designat. Sic enim legere solet Augustinus, & cum ipso S. Thomas in expositione hujus loci. Ita etiam alii passim Interpretes, & Christi Martyr Rosensis, eo Apostoli testimonio retellens primum Lutheri articulum: Ecce (inquit) non sola fides, sed cui conjuncta est dilectionis operatio (nota) valet ad justificationem. Unde sic argumentor: fides sine dilectione, sed charitate actuali, justificare nequit,

etiam in Sacramento. Ergo nec timor, neque ex timore dolor. Probat antecedens: si enim fides sine charitate actuali justificare posset in Sa- cramento, istud Apostoli Oraculum non esset im- pliciter, id est absolute, & sine exceptione verum: cum tamen Apostolus illud simpliciter, & absque exceptione protulerit; imò exceptionem implicite excluserit, cum dixit: neque circumcisio aliquid valet, quæ Sacramentum erat veteris legis. Per- inde est enim ac si dixisset: neque Sacramentum aliquid valet. Et sic Augustinus intellexit, dum l. 2. contra Petilian. c. 77. dixit: Teneamus cha- ritatem, sine qua & cum Sacramentis, & cum fide nihil sumus. Sic etiam Tridentinum intellexit, dum sess. 6. c. 7. ex Apostolico illo testimonio con- tra hæreticos probavit, solam fidem, etiam cum Sacramento Baptismi, sine charitate operante, ad salutem non sufficere: Hanc fidem (per cha- ritatem operantem) ante Baptismi Sacramentum ex Apostolorum Traditione Catechumeni ab Ecce- lesia petunt, cum petunt fidem vitam æternam præ- stantem, quam... sine charitate (operante) fides adultis præstare non potest. Unde & statim verbum Christi audiunt: si vis ad vitam ingredi, serva mandata, maxime primum & maximum, Dilige Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, &c. prout Rituale Romanum exprimit, dum baptismi ritus exponit. Et rationem dat Tridentinum ibidem c. 11. Qui enim sunt filii Dei (prout esse volunt), qui baptismum petunt) Christum diligunt. Qui autem diligunt eum, ut ipsemet testatur, servant sermones ejus.

Quartum argumentum ex Rom. 8. cap. 149. 1708. proferemus. Quintum addi potest ex 1. Cor. ult. Signis non amat. D. N. Jesum Christum, ama- thema sit. Ergo capax non est justificationis.

CAPUT CXLVII.

Eandem docet Apostolus & Evangelista Joannes, sicut & Apostolorum Princeps Petrus.

1709. Joannes utique duobus locis, quæ habentur 1. Jo. 3. Ubi versu 14. translati sumus (inquit) de morte ad vitam, quoniam diligimus fratres. Versu autem 15. qui non diligit, manet in mor- te, animæ utique, sive in statu peccati mortalis. Porro ly diligit, & diligimus, proprie sonat actum; nec significat solam odii negationem: utpote quæ proprie non est dilectio; manifestumque est, quod propter solam odii negationem translati non sumus de morte ad vitam. Significat ergo verum & positivum actum dilectionis. Unde utroque il- lo testimonio utuntur Theologi passim omnes, ad probandam divinæ dilectionis necessitatem ad justificationem extra Sacramentum. Nec certè urgentiori testimonio probari potest. Si autem utroque illo testimonio efficaciter probetur neces- sitas divinæ dilectionis extra Sacramentum: pro- fectò & in Sacramento. Cum Apostolus non distinguat, sed generaliter, indistinctè atque abs- que exceptione loquatur. Et ubi Apostolus non distinguit, neque nos distinguere debeamus, sed generaliter accipere, quod generaliter dixit. Ne- que enim nobis licet generalia S. Scripturæ dog- mata pro vita nobis ratione purè humana restringere.

Nec refert quod Apostolus de fraterna ibi cha- ritate loquatur, quia charitas Dei & charitas pro- ximi ita invicem connectuntur, ut una pro altera frequenter in sacris Literis accipiarur: eò quod utique nec dilectio Dei possit esse in homine, si non diligit proximum; nec dilectio proximi, si non diligit Deum, inquit Augustinus l. de fide & oper. c. 10. Nam (ut ait 1. 66. in Joan. c. 13) qui san- ctè & spiritualiter diligit proximum, quid in eo



diligat, nisi Deum? Similia habet 8. Trin. 8. de discipuli Christi. c. 5. & alibi frequenter. Verbis itaque ex 1. Joan. 3. prolatis nihil nobis sic à Joanne commendari dicit idem Aug. tr. 5. in hanc epist. 1. quomodo charitatem, & si videtur alia & alia dicere, illuc facere reditum, & ad ipsam charitatem omnia velle referre quaecumque dixerit. Ad charitatem utique actualem: subdit enim Joannes v. 4. *Non diligamus verbo neque lingua, sed opere & veritate.* De eadem proinde charitate addit ibidem: *Omnis qui non est justus, non est ex Deo, & qui non diligit fratrem suum.* Ad quæ verba Aug. ibid. *Certe jam manifestum est unde dicat: ET QUI NON DILIGIT FRATREM SUUM.* Dilectio ergo sola discernit inter filios Dei, & filios diaboli. Signent se omnes signo crucis. Respondeant omnes, Amen. Cantent omnes alleluia. Baptizentur omnes, &c. Non discernuntur filii Dei à filiis diaboli nisi CHARITATE. Qui habent charitatem (actualcm, utpote significatam à Joanne per verbum diligit) nati sunt ex Deo; qui non habent, non nati sunt ex Deo, etiam si baptizentur, sive aliud recipiant Sacramentum. Quia qui nati sunt ex Deo, sunt filii Dei, ad eoque Spiritu Dei aguntur. *Quicumque enim Spiritu Dei aguntur, hi sunt filii Dei.* Rom. 8. *Non sunt igitur filii Dei, si non aguntur Spiritu Dei.* Augustinus ierm. 43. de verb. Dom. c. 7. *Non aguntur autem Spiritu Dei, nisi qui charitate aguntur. Qui enim Spiritu Dei aguntur, charitate aguntur.* Idem ierm. 13. de verb. Apost. c. 13. *Unde subdit: Jam ego non in timore, sed in dilectione, ut non servus, sed filius Dei simus. Qui adhuc enim idem bene agit, quia poenam timet, Deum non amat. Et id. O nondum est inter filios...*

Idem conficitur ex 2. Petri 1. *Ministrate in fide vestra virtutem (id est opera virtutis) in virtute autem scientiam (id est discretionem, quæ virtutum est moderatrix) in scientia abstinentiam à voluptatibus carnalibus (presertim gulæ & luxuriæ) in abstinentia autem patientiam (necessariam ad reportandas reprobationes) in patientia autem pietatem (quæ oritur pro persequentibus vos) in pietate autem amorem fraternitatis; in amore autem fraternitatis charitatem (id est Dei dilectionem, ait Dionysius Carthus. ad eum Petri locum, quoniam charitas Dei ceterarum virtutum vita, & forma, & finis... est.)* Hæc enim si vobiscum adsint, & superent (cupiditates & passionnes sibi oppositas) non vacuos, nec sine fructu vos constituunt in D. N. Jesu Christi cognitione. Cui enim non præsto sunt hæc (maxime amor fraternitatis, & charitas Dei) cæcus est, & manu tentans, oblivionem accipiens purgationis veterum suorum delictorum, id est peccata sua per poenitentiam purgare, mediaque necessaria ad hoc ut Christi cognitio sibi sit fructuosa negligens, seu omitteus. Ergo charitatem seu dilectionem Dei superantem, id est prædominantem, Apostolorum Princeps exigit ad hoc ut cognitio Christi sit fructuosa ad justificationem & salutem.

CAPUT CXLVIII.

Argumentum ex Rom. 8. 15. quo prorsus sufflamatur consilia ab Adversariis quibusdam prerogativa exemptionis Christianorum à necessitate benevole Dei super omnia dilectionis.

1712 Ibi namque Gentium Apostolus, novi Testamenti filios alloquens, sic contestatur: *Non enim accepistis spiritum servitutis iterum in timore, sed accepistis spiritum adoptionis filiorum, in quo clamamus, Abba Pater, id est (uti cum sanctis Patribus exponit Dionysius Carthusianus ad eum locum) jam tempore gratiæ non est vobis datus*

spiritus, quo servitiis Deo serviliter, timore poenarum, ut olim tempore legis, quæ comminatione poenarum induxit homines ad serviendum Deo; sed accepistis spiritum adoptionis filiorum, ut servitiis Deo ex charitate, tamquam filii adoptivi, Deum Patrem fiducialiter invocantes, & affectuosè diligentes. Per illa namque Apolloli verba evidentiè duorum Testamentorum distincta sunt tempora (ait Augustinus in exposit. quartum, proposit. ex epist. ad Rom.) illud enim ad timorem pertinet; novum autem ad charitatem. Spiritus namque servitutis, spiritus timoris est; spiritus verò adoptionis filiorum, est spiritus amoris. Quia, ut Hieronymus ad locum illum observat, timere servorum est, diligere filiorum; sicut scriptum est: *Servus domini sui timetis, & filius diligit patrem suum.* Judæi ergo in veteri Testamento, qui bona operari charitatis voluntate volebant, timoris necessitate cogebantur. Nos verò omnia voluntariè, live, ut proximè dixit, charitatis voluntate operemur, ut filios nos omnes probemus, non servos timoris. Ita etiam Chrylasmus homil. 14. in epist. ad Rom. Non accepistis (inquit) spiritum servitutis iterum in timore, sed spiritum adoptionis filiorum, videlicet ut ne amplius ob presentis poenæ timorem, sed ob ipsius (Dei) amorem, tam virtutis habitus, tuos reliqua officia, ac rectè facta (per consequens etiam poenitentia) in nobis existant.... Illi (filii veteris Testamenti) formidine adducti, cuncta faciebant. Hi autem (filii novi Testamenti) ipsius desiderio & amore. Unde Augustinus alicubi dicit, quod illi hodie pertinent ad veteri Testamentum, qui Deo serviunt ex timore; olim verò illi pertinuerunt ad novum, qui Deo ex amore servierunt. Quia, ut ait lib. de nat. & grat. c. 57. sub lege est, qui timore supplicii, quod lex minatur, non amore justitiae, se sentit abstinere ab opere peccati. Et in lib. contra Adimantum cap. 17. ex allatis Apolloli verbis colligit, quod hæc est brevissima utriusque Testamenti differentia, timor & amor.

Concinit S. Thomas in cap. 4. Math. *Vetus erat lex timoris; nova verò amoris.* Et 2. 2. q. 108. a. 1. ad 3. *qui ex amore bonum operantur, soli propriè ad Evangelium pertinent...* Qui verò ex amore non moventur ad bonum, sed ex timore, est numero sint de Ecclesia, non tamen merito.

Ex his jam arguere liceat: in lege timoris, quando Deus Judæos, tamquam servos, timore poenæ ad mandatorum suorum observantiam urgebat, infinitaque Dei erga nos dilectio (in Filii sui ad nos & propter nos Missione, ejusdemque Passionis revelata) figuratur adhuc velo obtegatur, Dei propter se amor super omnia ad peccatorum remissionem & justificationem ad eodè necessarius erat, ut sine eo nullus ratione utens justificaretur, prout Adversarii fatentur. Multo ergo magis in lege amoris, ubi non datur spiritus servitutis iterum in timore, sed spiritus adoptionis filiorum, & charitatis, ut non amplius timore poenæ, prout olim Judæi, sed ob Dei amorem ipsi serviamus, omniaque bona opera nostra faciamus. Enimverò manifestè præpositum est, in lege timoris charitatem ad peccatorum remissionem necessariam asserere; in lege verò charitatis, ipsius ad hoc necessitatem negare.

Prorsus ergo sufflamanda, atque ex Christianorum cordibus abjicienda est propudiosa partiterque scandalosa quorundam opinio, quæ dicit, istam esse novi Testamenti præ veteri prerogativam, quod in novo salutis gratia peccatoribus Deum non amantibus infundatur; quodque solo motivo servilis timoris, in lege amoris, justificari possit Christianus, quod in lege timoris non potuit Judæus; quod dicitur Sacramentorum